

III.

**Freiherren-Diplom**

von

Kaiser Ferdinand II.

für

Adrian v. Enckevort

d. d. Wien 13. März 1635.



Ferdinandus Secundus divina favente clementia, electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniae, Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, Sclavoniae, etc: Rex, Archidux Austriae, Dux Burgundiae, Brabantiae, Stiriae, Carinthiae, Carniolae etc: Marchio Maroviae, etc: Dux Lumburgiae, ac Superioris et Inferioris Silesiae, Wirtembergae et Teckae. Princeps Sueviae, Comes Habsburgi, Tyrolis, Ferretis, Kyburgi et Corintiae, Landgravius Alsatiae, Marchio sacri Romani Imperii Burgoviae, ac Superioris et Inferioris Lusatiae, Dominus, Marchiae Slavonicae, Portus Naonis et Salinarum etc.

Nobili nostro et Sacri Romani Imperii fideli dilecto Adriano ab Enckefort, Camerario et Colonello nostro gratiam nostram Caesaream, ac omne bonum.

Etsi Nos pro innata Nobis benignitate, clementiaque summi et immortalis Dei, qui coelestis suae liberalitatis thesauros in universum hominum genus largissime effundit, exemplo postquam ab ipsa divina Majestate, ad Majestatem hanc humanam et excelsi throni Imperialis Solium enecti sumus: hoc in primis curae habemus, ut munificentia nostra in quoscumque hominum ordines, quorum id virtus et fides merentur, amplissime extendatur, exerceaturque omnino tamen decere existimamus, ut diligens et accurata habeatur ratio, quo praemia unicuique et honores, dignitatesque pro cuiusque meritis, debito discrimine conferantur, ut scilicet unus ab altero

quibusdam quasi gradibus distinguatur, et, qui, clariare loco nati, nobilitatem a Majoribus accepta, nobilibus et paeclaris actionibus, ac virtutum studiis pro patria, pro Principibus suis, pro Republica strenue elaborando, magis magisque illustrant, amplioris honoris et dignitatis paeeminentia decorentur, sic enim ratio aequitatis et iustitiae habetur, et reliqui mortales, ad honestissimum virtus et gloriae certamen pulcherrimis exemplis provocantur.

Edocti itaque fide digno referentium testimonio, Adriane ab Enckefort, iiste parentibus et maioribus ortum, quorum nobilitas, non magis antiquitate, quam virtute et rebus fortiter prudenterque gestis, tum in primis etiam fide et devotione in Praedecessores nostros, Romanos Imperatores et Reges, ipsumque Sacrum Romanum Imperium, nec non et Augustam Domum nostrum Austriacam illustris ac spectata fuerit, ex quibus, ut ceteros taceamus, aeque ille Guyljelmus ab Enckefort prodierit, cuius excellentibus in omni genere virtutis, meritis Adrinus VI. sanctae Ramanae ac universalis Ecclesiae summus Pontifex, honorem Cardinalitiae dignitatis detulerit; quorum vestigiis insistens novissime etiam pater tuus Guyljelmus et ipse nominatus, cum triginta ipsos annos sub auspiciis Augustae Domus nostra militasset, duas turmas cataphractorum equitum, quas ipse sumptu suo conscriperat, diu duxisset, omnia egregia vel' militis vel ducis munia implevisset, tandem vitam ipsam pro eadem Domo nostra fortiter profuderit.

Quius exemplo, ut sanguine ipso, tu ipse, Adriane ab Enckefort, incitatus, id jam ab ineunte aetate summae curae habueris, ut illis progenitoribus partum, ac in te derivatum domesticum decus, non modo non detereres, sed auctius ac illustrius ad posteros transmitteres; id quod adeo feliciter tibi cessisse compertum habemus, ut, cum et paeclaris cogitationibus tuis, ea a litterarum cultu et doctrina, subsidia parasses, quae ad magna tendenti, certiorem viam muniant, ac postea ad militiam animum applicasses, primumque in Belgia per

duos annos eiusdem rudimenta gregarius possuisses, inde ad Nos in Superiorem Germaniam delatus, paulatim pro virtute tua, per omnes ordinum militarium gradus, sub ducibus, Anholdt, Tillio, Gallassio, ascendendo, nullam fortitudinis ac fidei probandae occasionem declinando, sed in omnibus fere proeliis maioribus, quae post semel coeptum bellum Boëmicum diversis in locis pugnata sunt, ac nominatim in illo ad Wimpennam contra Durlachium, ad Statlonam et Hochsteram contra Christianum Brunswicensem Ducem, ad Luteram contra Regem Daniae, ad Lutzenam contra Suecum in nupera illa periculosissima ac detestabili defectione, quam contra Nos arditus ipse Generalis Exercituum nostrorum Capitaneus, ad omnes fere et singulos minores Duces perferre conatus est, ita te gerendo, id consecutus sis, ut Colonellum te nostrum sive Tribunam unius Legionis constituerimus, ac deinde fidei et vigilantiae tuae praesiduum, recuperatae nuper Civitatis nostrae Imperialis Ratisbonensis, recte committendum censuerimus; Benigne etiam considerantes, quam praeclare in te, tot tamquam ampli honores, et beneficia nostra collocata sint, quippe qui ab illo tempore, instinctui generoso tuo obsequens, legionem alteram trium milium in XIV distributam vexilla, aere tuo formaris ac armaris, omninoque confisi te deinceps quoque, non modo tui similem futurum, sed posteris etiam tuis clariora in dies documenta virtutis quae imitentur, daturum. His nempe, aliisque de causis faciendum nobis duximus, ut te insigni aliquo, eoque tali munificentiae nostrae Caesareae monumento condecoraremus, quod ad posteritatis memoriam, tibi, tuisque perpetuae laudi ac honori esset: Atque idcirco ex certa scientia, animo bene deliberato, sano accidente consilio, et de Caesareae, Regiae Archiducalisque potestatis nostrae plenitudine, te praeonomiatum Adrianum ab Enckefort omnesque liberos, heredes, posteros ac descendentes tuos, ex legitimo matrimonii foedere natos et naseituros in infinitum masculos et feminas Nostros et Sacri Romani Imperii Regnorumque ac ditionum nostrarum

haereditarum, liberos Barones et Baronissas antiquae prosapia fecimus, creavimus et ereximus ac tenore praesentium facimus, creamus, erigimus, et ad liberorum Baronum statum atque gradum clementer evehimus et attolimus, ac Baronalis honoris dignitatisque titulo per praesentes gratiose insignimus, nec non aliorum Liberorum Baronum vere natorum ordini, numero, consortio, coetuique favorabiliter asscribimus et aggregamus; Decernentes ac hoc nostro Caesareo Edicto firmissime statuentes, quod tu, supradicte Adriane ab Enckefort, omnesque liberi, heredes, ac posteri tui legitimi, utriusque sexus nati et nascituri, Liberorum Baronum nomen et dignitatem assequi, obtinere ac ferre, et tam in litteris, quam nuncupatione verbali, nec non in rebus ac negotiis spiritualibus et temporalibus, Ecclesiasticis et profanis, et in quibuscumque negotiis et actionibus a Nobis et successoribus nostris et aliis omnibus et singulis, cuiuscumque status, gradus, ordinis, dignitatis, et conditionis extiterint, pro veris liberis Baronibus haberi, teneri, dici, nominari et honorari passitis et valeatis, prout Nos ipsi te eosdemque legitimos haeredes et posteros tuos, utriusque sexus, liberos Barones nominamus, declaramus et appellamus. Volentes, et autoritate nostra Imperiali Regiaque expresse decernentes, quod ubivis locorum et terrarum, tam in judiciis, quam extra, omnibus et singulis privilegiis, indultis, immunitatibus, libertatibus, iuribus, consuetudinibus, honoribus, dignitatibus, praerogativis, exemptionibus, gratiis et favoribus uti, frui, gaudere, et potiri valentis, quibus alii Barones in Sacro Romano Imperio, Regnisque et Provinciis nostris hereditariis, uti, frui, gaudere, et potiri solent et possunt, quomodolibet consuetudine vel de iure, omni contradictione et impedimento postposito.

Ut praeterea gratiam nostram Caesaream erga te Adriananum ab Enkefort liberum Baronem, magis magisque ostendamus, antiqua et gentilitia armorum tuorum insignia, non modo clementer laudavimus, approbavimus, verum etiam auximus, amplificavimus, illustravimus et innovavimus, quem-

admodum vigore praesentium laudamus, approbamus, rati-  
ficamus, augemus, amplificamus, illustramus et innovamus,  
et in hunc, qui sequitur, modum posthac habenda, gestanda,  
ac deferenda benigne concedimus et elargimur.

Scutum videlicet oblongum flavei sive aurei coloris in  
tres partes lineis rubeis divisum, ut linea a latitudine scuti  
per medium ducta perpendicularē ex supra eiudem  
parte descendēt ad angulos rectos excipiat, quarum par-  
tium quaeque superior Aquilam nigram alis explicatis, et  
pedibus divaricatis volaturlenti similem, capite ad invicem  
spectantem, inferior quoque eodem modo Aquilam nigram,  
capite dextrorsum verso ostentet. Maioris scuti medium  
occupet scutum minus caeruleum, ut pedem aquilae unius  
a dextris sinistrum, alterius dextram tegat, in quo sertubum  
rubac conspiat, corona aurea desuper pendente decorum;  
scuto maiori incumbat corona item aurea, in acumina gratiose  
desinens, quibus gemmae sive globuli, quasi infixi conspicui  
visantur, prout haec omnia in medio huius diplomatis colo-  
ribus suis ingeniosius et ad vivum quasi elaborata ac visui  
objecta cernere licet. Statuentes et hoc nostro Caesareo  
edicto firmiter decernentes, quod tu prae nominante Adriane ab  
Enckefort liber Baro, omnesque liberi, heredes et posteri  
tui legitimi in infinitum praememorata armorum insignia,  
sic a nobis ex speciali gratia aucta et locupletata, deinceps  
in omnibus et singulis honestis et decentibus actibus, exer-  
citiis et expeditionibus, libere pacifice, et absque omni prorsus  
molestatione, deferre et gestare, iisdemque pro voluntatis,  
arbitrio, quovis modo uti possitis valeatisque, non abstantibus  
in contrarium facientibus quibuscumque.

Mandamus ergo universis et singulis Electoribus aliisque  
Sacri Romani Imperii Principibus, Ecclesiasticis et sae-  
cularibus, Archiepiscopis, Episcopis, ducibus, Marchionibus,  
Comitibus, Baronibus, militibus, nobilibus, clientibus, capitaneis,  
Vicedominis, Praefectis, Castellanis, Locumtenentibus, officia-  
libus, Heroaldis et Caduceatoribus, Burgimagistris, Judicibus,

Consulibus Civibus, et generaliter omnibus et singulis nostris et Sacri Romani Imperii, Regnorumque et Provinciarum nostrarum hereditiarum, subditis, ac fidelibus dilectis, cuiuscumque dignitatis, gradus, ordinis et conditionis existant, ut te saepe datum Adrianum ab Enckefort liberum Baronem omnesque liberos, haeredes et posteros tuos legitimos, in dicto liberi Baronatus statu, ordine et dignitate permanere, omnibusque et singulis praememoratis privilegiis, indultis, immunitatibus, libertatibus, iuribus, consuetudinibus, honoribus, dignitatibus, praerogativis, exemptionibus, gratiis et favoribus, vobis in hoc nostro diplomate concessis, libere, quiete, et absque ullo impedimento uti, frui, gaudere et potiri sinant, adeoque in omnibus et singulis defendant, conservent et alios, ne quid in contrarium moliantur vel attentent, pro viribus prohibeant et impedian.

In quantum indignationem nostram, et Sacri Imperii gravissimam, et poenam centum marcharum auri puri, pro dimidio fisco, seu aerario nostro Imperiali, et pro reliqua parte, iniuriam passo seu passis, toties quoties contra hanc nostrae creationis, concessionis, libertatis et gratiae paginam factum fuerit, irremissibiliter solvendam, incurrire noluerint.

Harum testimonio litterarum, manu nostra subscriptarum, et sigilli nostri Caesarei appensione munitarum. Quae dabantur in Civitate nostra Viennae, die decima tertia Mensis Martii, Anno domini millesimo sexcentesimo trigesimo quinto, Regnorum nostrorum, Romani decimo sexto, Hungarici decimo septimo, Bohemici vero decimo octavo.

Ferdinandus m. p.

Ph. v. Stralendorff m. p.

Ad Mandatrens sac. caes. Maj. proprium  
Joan. Walderode m. p.

Abschrift im Vogelsanger Archiv. — S. oben Seite 44 und 53.